

[Wachler, Ludwig]

Quaestionum patristicarum
biga.

ACTUM SOLEMNEM

QUO

UNIVERSITAS LITTERARIA VIADRINA VRATISLAVIENSIS

DIE XVIII JANUARII MDCCCXVI

ALMAE PACIS

VICTRICIBUS BORUSSORUM ET SOCIORUM ARMIS RECUPERATAE

EXOPTATUM REDITUM

SIMULQUE

REGNI BORUSSICI EO IPSO DIE ANTE HOS CENTUM ET QUINDECIM ANNOS INAUGURATI

MEMORIAM

PIA MENTE CELEBRABIT

HISCE LITTERIS INDICIT SIMULQUE SPLENDIDISSIMOS HUJUS URBIS PROCERES OMNESQUE LITTERARUM FAUTORES ET ACADEMICOS CIVES, UT HUIC SOLEMNITATI HOR. XII IN AULA LEOPOLDINA INTERESSE EAMQUE SUA PRAESENTIA SPLENDIDIOREM REDDERE VELINT, DECENTER INVITAT

RECTOR ET SENATUS UNIVERSITATIS.

Subjuncta est:

Quaestionum Patristicarum biga.

[Ludwig Wachler]

VRATISLAVIAE, EX TYPOGRAPHIA UNIVERSITATIS MDCCCXVI.

Herrn Prof. D. Walch
empfiehlt sich freundschaftlich
der Vf. Augusti

Quaestionum patristicarum biga.

I.

Ephraem Syrus Basilii Magni et Graecorum magister.

In vita S. *Ephraemi* lingua Syriaca conscripta (apud *Assemanum* in Biblioth. Orient. Vol. I. p. 44 — 45.) narratur: „Praeterea quum aliquando Sanctus Basilius e suggestu verba faceret, audiens populus dicentem: *Pater*, *et Filius*, *et Spiritus Sanctus*, submurmurabat, quod particulam illam *et* adjecisset. Contra Basilius: nulla, inquit, vobis, filii, caussa est cur commoveamini et perturbemini ex additione particulae *et*. Et nos quidem, antequam huc accessisset b. Ephraem Syrus, dicebamus: *Pater et Filius*, *Spiritus Sanctus*. Quum autem ad nos venisset ille Dei electus, audivi ista disserentem ut diceret: consentaneum esse adjicere particulam *et*, ut glorificetur Trinitas hoc modo: *Gloria Patri*, *et Filio et Spiritui Sancto*. Haec Basilius. Ab eo autem tempore formula ista manavit ad omnes Fideles, auctore b. Ephraemo, a quo Graeci illam acceperant."

In illo igitur loco Ephraemus, qui et Syrus et Edessenus vocatur, Basilium Magnum (Caesareensium Episcopum) edocuisse dicitur de formula solemni τῆς δοξολογίας, qua exprimere solebant veteres Christiani S. Trinitatis confessionem. Verba Ephraemi erant:

ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫܐ

i. e. *Pater, et Filius et Spiritus Sanctus.* Basilius autem, juxta auctoritatem Syri nostri, pronuntiarat:

ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܪܘܚܐ ܩܘܕܫܐ

i. e. *Pater, et Filius, Spiritus Sanctitatis.* Omnis diversitas verborum consistit in copula *Vau* (καὶ) ante vocabulum ܪܘܚܐ et in forma ܩܘܕܫܐ (Sanctitatis) pro: ܕܩܘܕܫܐ (*Sanctus*), quae Matth. 1, 18 legitur. Quod igitur taxat Edessenus, non nisi levissimum et mera λεπτολογια et μικρολογια videri posset. At si rem ipsam spectamus, gravissimum intelligemus discrimen. Ipse pater clarissimus noster, de quo hic agitur, Basilius M. in Tract. de Spir. S. ad Amphiloch. c. 25., ubi de Doxologia loquitur, acute observavit, quantum discrimen insit formulis συν τῳ ἁγιῳ πνευματι, ἐν πνευματι ἁγ., δια πνευματος etc., et quod et quomodo in ejusmodi disputationibus non tam syllabarum et particularum, quam rei ipsius et argumenti ratio sit habenda et tenenda. Et omnes, qui, quanta vis in formulis posita sit, ex historia norunt, jure meritoque hoc ita monuisse Ephraemum concedent.

Qui enim dicit: *Pater, et Filius et Spiritus Sanctus,* quod Ephraem jubet, is catholicam fidem de tribus in essentia divina personis individuis, coexistentibus et coaequalibus profitetur, et tertiae quoque divinitatis personae eandem tribuit ὁμουσιαν, quae secundae competit, ut in Symbolo Constantinopol. I. (a. 381) postulatur. Ab hac tamen confessione multum abhorrebant, qui formula satis ambigua: *Pater, et Filius, Spiritus Sanctitatis* utebantur. Hac enim admissa Personalitas et Ὀμουσια Spiritus

Sancti non satis vindicabatur, nec contra *Πνευματομαχυς*, quales Macedoniani erant, nec contra plures non satis accuratas et omnis ambiguitatis expertes formulas dicendi quorundam Patrum, quorum auctoritatem Arius et alii Haeretici prae se ferebant. Constat autem ex historia, in hunc censum venire Tertullianum, Dionysium Alexandrinum, Eusebium Caesareensem, Marcellum Ancyranum; prae caeteris tamen Origenem, quem ipse Basilius noster in Tract. de Spir. Sancto ad Amphil. c. 29. vocat: *ἀνδρα ὑδε πανυ τι ὑγιεις περι τυ πνευματος τας ὑποληψεις ἐν ἀπαϭιν εχοντα.* Multi, qui hanc formulam adhibere solebant, sub Spiritu Sancto *vim et efficaciam divinam, qua Pater et Filius conjuncti sint*, intelligebant; quam sententiam *Augustinus* de fide et symb. c. 5. hisce affert verbis: „Ausi sunt tamen quidam ipsam communionem Patris et Filii atque ut ita dicam Deitatem, *θεοτητα*, Spiritum Sanctum credere, ut quoniam Pater Deus et Filius Deus ut ipsa Deitas, qua sibi copulantur, et ille gignendo Filium et ille Patri cohaerendo et ei, a quo est genitus, aequetur. Hanc ergo Deitatem, quam etiam dilectionem in se invicem amborum charitatemque volunt intelligi, Spiritum Sanctum appellatum dicunt, multisque scripturarum documentis adsunt huic opinioni suae" etc.

Quae cum ita essent, pii atque orthodoxi doctoris et patris ecclesiastici erat, videre, ne usu formularum, quae haereticis opinionibus favere videbantur, detrimenti quid caperet respublica christiana. Laudandus itaque Ephraem ob singulare *της ὀρθοδοξιας* et *ὀρθολαλιας* studium, quo apud coaevos et posteros ita inclaruit, ut a populo suo:

ܦܘܡܐ ܡܠܠܐ ܘܥܡܘܕܐ ܕܥܕܬܐ ܩܕܝܫܬܐ

i. e. *Os eloquentiae et columna sanctae ecclesiae* nominaretur, utque Chrysostomus (de falsis Prophet. Opp. T. VI. p. 401.) eum *κατα αἱρετικων ρομφαιαν και δοχειον τυ πνευματος* laudare nullus dubitaret. Sed mirum videri posset, ejusmodi commonitionem atque correctionem adhibendam

fuisse in Basilio illo Magno, qui haud minori jure quam ejus commonitor, ecclesiae columna habitus fuit, quemque is ipse in Encomio satis noto*) tot tantisque effert laudibus, ut Basilium Patriarchis V. T., Prophetis et Apostolis aequiparare audeat. Mirari tamen desinet, qui ex historia dogmatum cognovit, Basilium nostrum neutiquam fuisse Theologum ab omni parte laudatum et a nemine reprehensum. Idem dogma de Spiritu Sancto fuit caussa, cur της ἑτεροδοξιας accusaretur a quibusdam Monachis, contra quorum aculeos Athanasius Basilii suscepit defensionem. Cf. Athanas. Epist. ad Johann. et Antioch. ejusque Ep. ad Pallad. Opp. T. I. Vol. II. p. 763. seqq. Etiam Gregorius Nazianzenus (Orat. 20. p. 364. seqq.) hac in caussa amici patrocinium suscepit et consilium, quo Basilius a praedicato Spiritus S. Θεος abstinendum suaderet, οἰκονομιαν neutiquam vituperandam nominavit. Cf. Gregor. Naz. orat. 27. et 51. Ipse Basilius in Tractatu de Spiritu Sancto ad Amphilochium, in hac materia facile principi, non solum vocabulum Θεος evitat (quod etiam in tertio libro contra Eunomium fecit,) sed etiam c. 28. confessionem S. Trinitatis (ὁμολογιαν της πιστεως πιστευειν εἰς πατηρα, και ὑιον, και ἁγιον πνευμα) pro *consequentia*, ut dicunt, *theologica* (κατα το της εὐσεβειας ἀκολουθον) habet. Nec absimili modo disputat in Ep. 410. In libro quarto et quinto operis contra Eunomium vocabulum Θεος saepius quidem legitur; sed authentia horum librorum jam dudum ab *Erasmo*, *Sculteto*, *Garniero*, aliisque in dubium vocata, et verosimile est, ab alio quodam compositos fuisse hosce tractatus, qui deinde propter argumenti similitudinem Basilio fuerint adscripti. Cf. *Schroeckhii* christliche Kirchengeschichte Vol. XIII. p. 57. Fortasse etiam eo consilio compositi sunt, ut orthodoxia tanti viri, quatenus

---

*) Ephraemi Syri: *Εγκωμιον εἰς τον μεγαν Βασιλειον*. Opp. Ed. Assem. T. II. Edit. Oxon. 1709. p. 399. seqq.

suspecta videri poterat, vindicaretur. In Epist. 20. argumenta pro divinitate Spiritus S. adducuntur plurima; sed notum est, epistolam illam non Basilio, sed potius ejus fratri *Gregorio Nysseno* esse adscribendam.

Ex historia dogmatum constat, etiam alios doctores tempore Concilii oecumen. Constantin. pari modo de Spiritus Sancti divinitate docuisse. Inter quos *Hilarius* (de Trinit. VIII. §. 9. seqq. IX. §. 3. II. §. 1. 29.), *Cyrillus Hierosol.* (Cateches. XVI. §. 24.) et *Gregorius Naz.* (Orat. 37. p. 608. 693. etc.) eminent. Sententia autem orthodoxa imprimis per *Athanasium* (Ep. I. ad Serap. coll. Epist. Synod. Conc. Alex. apud *Mansi* T. III. p. 347.), *Didymum* (de Spir. S. in *Gallandi* Bibl. Patr. T. VI). *Epiphanium* (Haeres. 74. 76. Ancorat. p. 75 seqq.), *Ambrosium* (in libro de Spir. S.) et *Augustinum* (de Trinit. I. de fide et symb. c. 5. seqq.) confirmata et propagata est. *Invocatio Spiritus Sancti* in omnibus libris liturgicis legitur. Cf. *Euseb. Renaudot* Collect. Liturg. Orient. T. II. p. 361. coll. T. I. p. 238. T. II. p. 88. *J. A. Orsi:* Dissertat. de invocatione Spiritus S. in Liturgiis Graecorum et Orientalium. Mediol. 1731. 4. Idem apud *Maronitas* hodiernos in monte Libanon in usu est, de quo legendus *Schnurrer* in Dissertat. de ecclesia Maronitica. P. I. II. Tubingae 1810. 1811. in vernaculam versa in: *Archiv für alte und neue Kirchengeschichte von Staeudlin und Tzschirner.* I. B. 1. St. 1813. p. 52 — 53. Ex horum tamen testimoniis videmus, quam ἐπιεικες, quod rarissime illo aevo evenire solebat, de hac controversia judicatum fuerit. Nemo igitur probus Basilio vitio vertere poterat, si, ante commonitionem ab Ephraemo factam, formula nimis ambigua utebatur, cum ipse celeberrimus Hipponensis Episcopus in hac re non omnis ambiguitatis sit expers. Cf. Augustin. de fide et symb. c. 8. de civit. Dei XI. c. 24. Excusatio inde quoque peti poterat, quod, observante Epiphanio (Haeres. 74. §. 14.): τοτε (i. e. κατα Νικαιαν) ὑ γεγονε περι τυ Πνευματος ἡ ζητησις.

Praeterea Basilium virum pacificum et obsequiosum testatur historia. Quidni igitur ille, qui tanto exortum inter Orientales atque Occidentales dissidium removendi desiderio et studio flagraret, adhortationibus amicis tam pii atque eruditi viri, qualis Ephraem erat, facilem praebuerit aurem? Ephraemum autem Basilii fuisse auditorem et ab illo Diaconum *) fuisse ordinatum, non solum ex Encomio Ephraemi in Basil. M. (p. 401. seqq.), sed etiam ex Oratione Gregorii Nysseni in laudem fratris Basil. (Opp. Gregor. Nyss. T. II. p. 605 seqq. adde Amphilochii orat. in Basil. M. Ed. Paris. 1644. p. 20. seqq.) apparet. Ipse Basilius, se etiam aliis in rebus ab Ephraemo didicisse fatetur; nam dubio non caret, *Syrum* illum, quem Basil. Homil. 2. in Hexaemer. p. 24. laudat cujusque doctrina se de vi vocabuli *Merachephet* Gen. 1. 2. meliora esse edoctum narrat, nullum esse alium, quam Ephraemum nostrum. Narratio igitur Syri anonymi, quam supra dedimus, nil continet, quod a veritate et verosimilitate abhorreat.

Doctissimus quidem *Assemanus* in notis narrationi p. 45. subjectis haec scribit: „Videtur circa hoc factum S. Basilii aliquantisper dormitasse

---

*) Auctor Syrus (in *Assemani* Bibl. Or. T. I. p. 43.) dicit: Ephraemum nostrum a Basilio impositione manuum (ܣܝܡ ܐܝܕܐ) *Diaconum* fuisse ordinatum et de: ܟܘܪܬܘܢܝܐ ܕܡܫܡܫܢܘܬܐ: χειροτονια S. *Ordinatione Diaconatus* loquitur. In antecedentibus narraverat, sacerdotium (ܟܗܢܘܬܐ) ab Ephraemo fuisse recusatum. Differunt Gregorius Nyssenus et auctor graecus, qui vitam Ephraemi scripsit, quippe qui narrat, Ephraemum *presbyteriatum* (i. e. dignitatem presbyterii ordinatione ipsi collatam) a Basilio accepisse. Cf. *Tillemont* Mem. Vol. VIII. p. 744. et *Fabricii* Bibl. gr. Ed. Harles. Vol. VIII. p. 221. Etiam hic Syrum nostrum fide digniorem deprehendimus.

meus auctor, et falsis rumoribus, qui forte tunc quum ista scriberet, spargebantur, deceptus, falsa veris, ut fieri solet, admiscuise.“ Idem paulo post addit: „Si qua alia circa hoc factum addit auctor vitae S. Ephraemi, falsa et commentitia sunt.“ At hic, ut etiam in aliis judiciis, ipse sibi non satis constat vir egregius et praejudicatas potius sententias quam suum ingenium sequutus videtur; nam in sequentibus „tres dubitationes contra hanc Syri narrationem“ affert, nec male, quamvis non sufficienter, ut videtur, illis respondet. Tantum abest, ut hac narratione justae Basilii laudi et gloriae aliquid detrahatur, ut potius virtus ejus theologica splendidior appareat.

II.

Quo jure drama theologicum: Χριστὸς πάσχων Gregorio Nazianzeno abjudicetur?

Philologus clarissimus *Ludov. Caspar. Valckenaer* in libro: *Euripidis Hippolytus.* Lugd. Bat. 1768. 4. Praefat. p. XI. de dramate: Χριστὸς πάσχων haec scribit: „Illud ego Drama quando saepius magna cum libertate vituperavi tanquam indignum erudito Theologo, de illo quid sentiam hic in antecessum declarandum videtur. Insunt huic centoni versus aliorum nonnulli, ex Lycophronis etiam Alexandra; sed maximam partem conflatum est ex aliquot centenis Euripidis versibus, quos de sex tragoediis desumsit, Hippolyto, Medea, Bacchabus, Rheso (Rhesum legit auctor inter Euripideas perpaucis eorum, quorum ad nos scripta pervenere, lectam) Troasin atque Oreste. Quisquis illud Drama Christianorum ex aliorum pannis consarcinaverit, materiam uberrimam ab Ill. *Hugone Grotio* pro dignitate tractatam, contaminavit. *Daniel Heinsius* alicubi (de Tragoediae constitutione p. 234): „Dicas, ait, virum sine exemplo magnum (Gregorium Nazianzi Episcopum) in sermone proso Tragicum, in Tragoedia esse Comicum.“ Ne de metro dicam centenis vicibus violato,

tot insunt absurda huic centoni, ut Nazianzenus Gregorius mihi quidem indignissimus videatur contumelia, qua monstrosi foetus pater hucusque fuit a doctis hominibus habitus. Legat mihi quis carmina praesertim Magni Theologi; nullum inter illa reperietur, quod ex aliorum versibus conflaverit, in uno tantum eorum aliquoties (Opp. T. II. p. 209.):

Ἴαμβον εἰπὼν καίριον ἐξ Εὐριπίδȣ.

Multa quidem insunt orationibus Gregorii, illis etiam, quibus in Julianum debacchatur, ob quae, praeter ceteros, eximie videri possit Theologi nomen commeritus; sed nihil his ceterisve inesse opinor, quod ad illam cogitandi scribendique possit infantiam aequiparari, quae nulli minus aetati congruit, quam Imperatoris Juliani."

In hoc judicio critico doctissimum Valckenaerium jam alii praecesserant VV. DD., inter quos recensemus: *G. J. Vossium* (Institut. poet. Lib. II. c. 14.), *Justum Lipsium* (de cruce Lib. II. c. 7.), *Casim. Oudinum* (de scriptoribus antiq. eccles. commentar. Lips. 1722. p. 644. sqq.) *Trillerum* (in Praefat. ad versionem tragoediae: Christus patiens, auct. *Hug. Grotio.* Hamburg. 1748. 8.), qui drama nostrum nec Gregorio Nazianzeno, nec Apollinari, sed *Monacho cuidam indocto* adscribendum putavit. Etiam *Elias du Pin*, ratione a critico nostro haud diversa, dixerat: „Il s'en faut beaucoup, que la Tragédie, qui porte pour titre: *Jesus Christ le souffrant*, approche de la beauté, de la justesse, et de la gravité des piéces de St. Gregoire de Nazianze, et ce n'est pas sans raison, que les critiques la jugent indigne de lui." V. Ejusdem Nouvelle Bibliotheque des auteurs ecclesiastiques. Vol. II. p. 220. Inter Nostrates b. *Schroeckhius* (Christl. Kirchengeschichte T. XIII. p. 442) carmen nostrum Gregorio abjudicat, nullis tamen in medium prolatis argumentis et notitiis historicis, simpliciter apponens haec verba: „Zuletzt stehet noch unter seinem (Gregor's) Namen ein Trauerspiel: *der leidende Christus*, das man aber schon

lange nicht mehr für seine Arbeit erkennt, und das ihm, wenigstens als Trauerspiel betrachtet, schlechte Ehre machen würde."

Quod autem ad sententiam illam criticam Valckenaerii attinet, liceat nobis illam paulo accuratius examinare et quam parum probata sit, ostendere.

I. Argumentum illud, quo nihil ab aliis mutuasse dicitur Nazianzenus, infirmissimum dicendum, si consilium auctoris fuit, in hoc dramate non semetipsum, sed alios introducere loquentes. Furti litterarii accusari posset auctor, si aliena pro suis vendere, et subreptis se ornare voluerit pennis. At nemini fucum et fraudem facturus in fronte statim carminis haec eloquitur:

Επει δ'ἀκȣ́σας ἐυσεβῶς ποιημάτων
Ποιητικῶς νῦν ἐυσεβῆ κλύειν θέλεις,
Πρόφρων ἄκȣε νῦν τε κατ' Ἐυριπίδην.

En propriam auctoris confessionem, qua, cujus carmina expressa sint, ingenue fatetur!

Habemus Centones Homericos et Virgilianos variorum auctorum; quorum ἀυθεντια non a pretio aesthetico ipsis statuendo pendet. Cento Virgilianus sub *Ausonii* nomine circumfertur notisimus; sed nescio, an nunquam pro contumelia habitum fuerit, Ausonium, poetam neutiquam spernendum et in suo genere praestantissimum, hujus monstrosi foetus patrem dicere. Notissimum est, etiam poetas christianos ejusmodi Centones composuisse. Collectionem eorum satis largam exhibet: *Corpus poetarum graecorum*, tragicorum, comicorum, lyricorum, gnomicorum, epigrammaticorum etc. (editore *Jac. Lectio.*) Genev. 1614. fol. Porro: *Poetae graeci christiani*, una cum Homericis centonibus ex S. S. Patrum operibus collecti et utraque lingua seorsum editi in usum Gymnasiorum Societatis Jesu. Paris. 1609. 8. Conf. *A. Chr. Eschenbach*: de poetis christ. sacris graecis et latinis. Altdorf. 1685. Vid. *Fabricii* Biblioth. graeca. Edit.

Harles. Vol. VIII. 1802. p. 624. seqq. Nuper Ὁμηροκεντρων christianus editus inter Χριστιανικα Επιγραμματα in Anthologia graeca, ex Apographo Gothano edita a *Frid. Jacobs.* Vol. I. Lipsiae 1813. p. 32 — 33.

Cur tanta igitur ignominia adficiatur Gregorius, si Centonem hunc Euripideum ei tribuamus, quem non ex oscitantia quadam spirituali et imbecillitate ingenii, sed consulto et bona animi meditatione composuit, nos quidem non assequimur. Quid enim impedit, quo minus statuamus, propositum ipsi fuisse, unum alterumque ex Euripide adsuere pannum, et, ut allegoria scriptoribus eccles. familiari utamur, nuditatem Christi indumentis spoliati vestibus undique conquisitis involvere? Quid? si hoc Centone dramatico ostendere voluerit, quod jam Justinus Mart., Clemens Alex., Athenagoras aliique supponunt, etiam Gentiles, quamvis invitos et ignorantes, cecinisse ἀσμα τȣ λογȣ, et poetas Graecorum dramaticos nihil aliud esse, quam ὀργανα τȣ λογȣ και πνευματος ἁγιȣ. Nonne tale consilium deceret Patrem ecclesiae, qui ob insigne Chistologiae studium prae ceteris ὁ Θεολογος dictus fuit? Quod igitur tot aliis licitum, hoc quoque Gregorio in opprobrium nullo modo vertendum: imo potius, quo majori poeseos inclaruit laude, eo facilius sine nominis et gloriae periculo centonem illum, tanquam pii et vere christiani animi testimonium, contexere potuit. Poeta ignobilis vix auderet, quod magni nominis in hoc genere vir impune et sine ulla laudis jactura suscipere potest. Ecquis vituperaverit artem (hic enim de arte, non de animo loquimur), qua inter Nostrates *Guil. Aug. Schlegel* carmen triumphale in vituperium Kotzebue ex scriptis hujus poetae dramatici composuit? Multa alia ex nostris temporibus proferri possent exempla, ex quibus probaretur, non omnes Centonistas (sit venia verbo!) contumelia affici, multasque adesse posse rationes, quibus ducti auctores celeberrimi interdum aliorum vestibus potius, quam propriis incedere praeferant.

II. Neque minus valet, quod ultimo loco posuit Valckenaerius „d ecogitandi scribendique infantia, quae nulli minus aetati congruat, quam Imperatoris Juliani.“ Nil obloquimur, si quis omnes ejusmodi lusus poeticos ad infantiam velit referre; sed valde dubitamus, an ex singulis exemplis nostri carminis infantia quaedam singularis demonstrari possit. Et unde factum, ut auctor sagacissimus Juliani aetatem a contumelia infantiae tam studiose defendat? Ipse certe Julianus ad infantiam ineptiasque pronissimus: id quod factis et dictis abunde testatus est. Nonne infantiam plura sapiunt, quae Julianus in oratione (sive hymno) IV. *εἰς τον βασιλεα Ἡλιον* et orat. V. *εις την μητερα των Θεων* et alibi protulit? Cyrillus Alex. in orationibus *ὑπερ της των χριστιανων εὐαγους θρησκειας, προς τα του ἐν ἀθεοις Ἰουλιανου*, et Gregorius noster in *λογοις στηλιτευτικοις* s. Invectivis in Julianum, multis exemplis probare studuerunt, ad quos errores, perversitates atque stultitias studio falsae sapientiae, astrologiae et magiae abreptus fuerit.

Quod autem Gregorius in Orationibus, quibus, ut auctor noster dicit, in Julianum debacchatur, alius prorsus ac diversus appareat, nemo profecto mirabitur, qui cogitaverit, aliud esse, oratione pedestri, et aliud ligata scribere, et alium ornatum stylumque postulare opus libero ingenio conceptum, quam centonem ex variis tragoediis consarcinatum. Idem monendum de diversitate in stylo et phrasi, quam, comparata hac tragoedia cum aliis Gregorii carminibus, deprehendimus, et de metri violatione, quae in tali editione de symbolis vix et ne vix quidem evitari poterat. Quisquis fuerit auctor, opus certe criticum et aestheticum non meditatus est, sed theologicum; hincque accommodandum Hieronymianum illud: Christianus bonus, poeta pessimus!

III. Quae hucusque disputavimus, *negativa* sunt ad modum Valckenaerii, cujus argumenta sunt negativa, simul et interna. Iam videamus, quibus argumentis *αυθεντια* hujus dramatis probari posse videtur.

Testimonia tot veterum et recentiorum scriptorum Gregorium auctorem vel affirmant vel supponunt. Ante omnia codd. mss. auctoritas spectanda, de quibus jam *Lambecius* et *Phil. Labbaeus* fusius egerunt. Codex Matritiensis, Monacensis, Venetianus, septem Parisienses aliique *Gregorii Nazianzeni* nomen praefigunt. Accurate descripti sunt hi codices ab *Iriarte*, *Kollario* aliisque. Cf. *Fabricii* Bibl. gr. edit. Harles. Vol. VIII. p. 429. In codice quodam mss. cum Scholiis graecis inscribitur hoc drama: *Το κοσμοσωτηριον παθος τȣ ἐν ἁγιοις Πατρος ἡμων Γρηγοριȣ, Ἀρχιεπισκοπȣ Κωνσταντινȣπολεως τȣ Θεολογȣ, δραμα κατ' Ευριπιδην* (apud Lambec. IV. p. 22.) Desumta haec singularis inscriptio ex ipso carmine v. 4 — 7:

Τὸ κοσμοσωτήριον ἐξερῶ πάθος,
Ὅθεν μαθήσῃ πλεῖστα μυστικῶν λόγων,
ὡς ἐκ στοματος μητροπαρθένȣ κόρης,
Μύστȣ πεφιλμένȣ ἐν τῷ διδασκάλῳ.

Hisce auctoritatibus innisi sunt Lambecius, Labbaeus, Iriarte aliique VV. DD. Jure itaque statuimus, originem hujus traditionis historicae in veritate potius, quam in fictione esse quaerendam.

Accedunt testimonia quaedam ex historia et singulari temporis ratione petita, quae Gregorium Naz. auctorem suadere possunt. Sub *Juliani Apostatae* imperio paganismus, qui jam fere extinctus videbatur, liberius caput extollere coepit. Julianus veterem regni Deorum cultum restauravit, et Galilaeos (ut in contemtum Christianos vocare amabat), libros classicos, poemata, Musarum dona, possidere vetuit eisque litterarum studia interdixit. Adfectavit Julianus *το Ελληνιζειν*, scripsit tractatatus invidiosos adversus religionem christianam (inter quos *Ανατροπη των Ευαγγελιων* fuit), risit *νεκρȣ τινος θηκην* (Cf. Libanii Sophistae Orat. et declam. Vol. I. p. 509. ed. Reiske.) et imprimis *την Θεοτοκον παρθενον*. Contra has blasphemias atque calumnias scripserunt Cyrillus Alex., Apol-

linaris aliique, prae omnibus autem Gregorius noster, quem una cum amico Basilio Caes. maximo odio prosequutus est Julianus (Gregor. Naz. orat. IV. Opp. T. I. p. 132. Cf. Sozomen. H. E. Lib. V. c. 18).

De *Apollinari utroque* scimus, eos non solum Juliano se opposuisse, sed etiam, ut damnum ex Juliani decretis, quibus usum poetarum Graecorum Christianis interdixit, metuendum amoverent, *historias sacras versibus ex Homero, Euripide, Pindaro, Menandro aliorumque poetarum operibus collectis exornasse.* Socrat. H. E. Lib. III. c. 14. 16. Sozomen. H. E. Lib. V. c. 18. Participem hujus consilii atque adjutorem quoque fuisse Nazianzenum, *Jo. Clericus* in vita Gregorii Naz. (vers. germ. Halensis 1721. 8. p. 455.) narrat; quod, quamvis veterum testimoniis non firmatum, a veritate tamen non abhorrere videtur. Jam vero traditio antiqua, quae Gregorio Christum patientem tribuit, confirmare hoc aliquatenus potest. Ipse Julianus *Euripidis* admirator tragoedias ejus saepe laudavit (exempli loco citamus Juliani Caesar. orat. VII. p. 214. edit. Spanhem. ubi dicit: *λεγεται γαρ ὑπ' Ευριπιδȣ καλως: Ἁπλȣς ὁ μυϑος της ἀληϑειας ἐφυ* etc.). Nonne hoc occasionem et caussam dicemus, cur Gregorius hunc imprimis poetam ita transformaverit, ut (secundum Pauli Ap. verba) *κηρυξ και μαρτυρ* Jesu Christi vocari posset? Neque hoc silentio praetereundum, *Apollinarem jun.* a quibusdam auctorem centonis haberi (Cf. Fabricii Bibl. gr. edit. Harles VIII. p. 660.). Ex quo vel hoc patet, in hujus aevi rationibus atque conditionibus ejusmodi poematis apologetico-dogmatici (ita enim dijudicandum censemus) origenem esse quaerendam.

Ipse Valckenaerius non solum fatetur, drama nostrum non omnino destitui pretio critico, sed etiam exemplo suo egregie docuit, quantum subsidii ad textum Euripidis rectius constituendum ex eo peti possit. Ita et nos, missa omni quaestione de pretio aesthetico (quod quam exiguum sit, etiam nos lubenter agnoscimus) utamur hoc opere tanquam fonte, ex quo

accuratior et subtilior dogmatum christianorum hauriri queat cognitio. De gravitate enim rei hoc dramate tractatae vel ipsa auctoris *ὑπόϑεσις* testimonium exhibet, cujus ipsa hic in fine apponimus verba (Gregor. Naz. Opp. T. II. edit. Colon. 1690. p. 253):

Εἰ μὴ γὰρ ἐσφάλημεν ἀπροσεξίᾳ,
Οὐκ ἂν κατεκρίϑημεν ἀρχῆϑεν μόρον.
Κἂν μὴ διεφϑάρημεν ἑρπετοῦ δόλῳ,
Μήδ' ἡ φϑορά τ' εἰσῆλϑε ϑηρὸς ἀπάτῃ.
Καὶ πότμον ὑπέστημεν ἐνδίκῳ κρίσει,
Ὡς μὴ τὸ κακὸν ἀδιάφϑορον μένῃ.
Οὐκ ἦν βροτωϑῆναι τε, καὶ τλῆσαι μόρον,
Τὸν ζωοποιὸν δεσπότην Θεὸν λόγον,
Ἀφϑαρτίσοντα τὸ φϑαρὲν φιλαγάϑως,
Καὶ ζωοποιήσοντα τὸ βροτῶν ἅπαν.
Μένοντος αὐτοῦ δὲ ἀκενώτου τοῦ λόγου,
Ἥδ' οὐκ ἂν ἐκπέφηνε μήτηρ δεσπότου.
Καὶ τόνδε νῦν ὁρῶσα πάσχοντ' ἀδίκως
Θρηνοῦσ' ἀνηλάλαξε τετρυχωμένη.

Scripta haec sunt nullo alio consilio, quam ut antiquum morem, qui indictionibus solemnitatum academicarum publicis opusculum quoddam litterarium praemitti jubet, obsequeremur. Indicimus autem hodie solemnitatem, qua solemniorem non novimus, *almae Pacis et Concordiae publicae* laetissimum festum. Factum est enim, benigna numinis coelestis voluntate, quod ante hos sex menses, Sacra Natalitia *Augustissimi* atque *Clementissimi Regis Nostri*, cui Deus O. M. faveat! pia mente celebrantes, augurabamur. Cessavit armorum strepitus, quo tot, eheu, jam lustris Germania et tota cohorruit Europa. Impletum en tandem et sperandum videtur, quod pius olim vates (Micha IV. 3. 4.) tam egregie praedixit: *Et concident gladios suos in vomeres, et hastas suas in ligones; non sumet gens adversus gentem gladium, et non discent ultra belligerare. Et sedebit vir subtus vitem suam et subtus ficum suam, et non erit, qui deterreat, quia os Domini exercituum locutum est.* Fugit perniciosus belli Cacodaemon, tandem aliquando efficaciori pulsus exorcismo, in remota et deserta terrae loca, quietem quaerens, sed non inveniens, inque propria saeviturus viscera. Novo bello Trojano *) confecto, nulla amplius erit *Helena* caussa deterrima belli, neque metuendum amplius (alio tamen sensu, quam apud Theocrit. Id. XVIII 48. legitur): *τὸ Ἑλένας φυτόν!*

Redit ad pacis amantes cives miles, ad pacatas Musarum sedes Mavortis signa sequutus juvenis. Redierunt et redibunt ad institutionem

---

*) Nostra tempora cum historia belli Trojani non infeliciter nuper comparata inveniet B. L. in Dissertatiuncula edita sub titulo *Heroismus alter und neuer Zeit.* Vorlesung, gehalten in der Acad nützlicher Wissenschaften zu Erfurt am 3. Aug. 1815, vom Regier. Rath *Peucer*, aus Weimar. 1815. 8. p. 6.

nostram cives praestantissimi, qui sacro litterarum ardore flagrantes revera Nostri et non tales fuerunt, quales Joannes Apost. I. Epist. c. 2, 19 depingit. Laetissimus ille dies, qui Pacem et pacis artes reducit et fausta quaevis promittit!

Hunc igitur laetissimum atque faustissimum diem, cui totius Europae nationes grata benedicunt mente quemque felix Borussorum populus, ob *Inaugurationem Regni Borussici* (nam d. XVIII Januarii MDCCI *Fridericus*, Elector, Primus Borussorum Rex salutatus fuit) semper inter sacra domestica sua habuit, etiam Viadrina nostra Vratislaviensis laeta excipiet et salutabit ovatione sua. Sacra autem hujus diei publica et solemnitates, quibus hanc exoptatam occasionem insigniri par est, hoc fient ordine. Primum civium academicorum coetus et rerum nostrarum Fautores Honoratissimi, omni, qua par est, observantia a nobis invitati, audient symphoniam musicam, qua hymnus antiquus St. Ambrosio adscriptus tympanis, fidibus et cantu tractabitur. Deinde orator a nobis ad hunc actum electus, Collega conjunctissimus:

Ludovicus Wachler,

Historiarum Prof. P. O.

oratione latina gratiarum actionem et vota publica nuncupabit. Idem denique in fine orationis Virorum praestantissimorum proclamabit nomina, quibus, ob insignia vel in rempublicam litterariam vel in Universitatem nostram merita, singuli Universitatis Ordines summos decreverunt Doctoratus academici honores. Horum indicem dum coronidis loco hic subjungimus, monendi sunt Benevoli Lectores, nos consultius duxisse, in eorum nominibus ab omni laudis commemoratione abstinere, cum

ipsa nomina nullo modo laude sua carere intelligamus. Doctores autem honoris caussa et in hujus diei monumentum creati, secundum Facultatum Universitatis ordinem, hi sunt:

I. Ab Ordine Theologorum Protestantium.

1) Joannes Timotheus Hermes,

Doctor Philosophiae, Dioeceseos Vratislav. Superintendens, Eccles. et Scholar. Vratislav. Inspector, Eccles. ad St. Elisab. Antistes etc.

2) Henricus Middeldorpf,

Philosophiae Doctor et in Univers. Viadr. Vratislav. Theologiae Prof. P. O. etc. etc.

II. Ab Ordine Theologorum Catholicorum.

Daniel Krüger,

Philosophiae Doctor, ad Eccles. cathedralem S. Joh. Vratislav. Canonicus capitularis ibidemque praeco sacer, in Vicariatu generali Episcopatus Vratislav. a consiliis, Seminarii scholast. Director, scholarum element. Vratislav. Inspector etc. etc.

III. Ab Ordine Jureconsultorum.

1) Fridericus Theodorus Merckel,

Totius Silesiae Praeses supremus, Ordin. Aquilae rubr. et Crucis ferr. Eques etc. etc.

2) Carolus Ludolfus Fridericus Comes de Danckelmann,

Collegii supremi provinc. de justitia administranda Praeses dirigens, Ordin. Aquilae rubr. Eques etc. etc.

3) Ernestus Godofredus Berger,

Fisci Regii per Silesiam et Comit. Glac. Procurator generalis, Collegii criminal. Vratislav. Director, Ordin. Aquil. rubr. Eques etc. etc.

4) Fridericus Guilielmus Neumann,

Aug. et Potent. Borussorum Regi a Consiliis Regim. intimis, Societatis Silesiacae Patriae cultricis Praeses etc. etc.

5) Joannes Theophilus Uber,

Collegii Notariorum Vratislav. Director, Fisci aulici Procurator etc. etc.

6) Christophorus Bernardus Sprickmann, condictus Kerkering,

In Universitate Monasteriensi Professor.

IV. Ab Ordine Medicorum.

Joannes Christianus Fridericus Meister,

Juris utriusque Doctor et in Univers. Viadr. Vratislav. Prof. P. O. Aug. et Potent. Boruss. Regi in judiciis criminalibus a Consiliis etc. etc.

Qui, ut in omni fere Litt. genere laudem sibi eximiam paravit, sic etiam de medicorum scientia, maxime vero de medicina forensi, ingenio, doctrina, scriptis praeclare meruit.

V. Ab Ordine Philosophorum.

---

1) Joannes Elertus Bode,

Astronomus Regius, Acad. Reg. Scient. Berolinensis socius etc. etc.

2) Nicolaus Volgangus Fischer,

Medicinae Doctor et in Univers. Viadr. Vratislav. Chemiae Prof. P. Ord. etc. etc.

3) Christianus Günther,

Collegii medici Vratislav. Assessor, Soc. Siles. patriae cultricis sodalis etc. etc.

4) Ludovicus Tieck,

Poeta celeberrimus in litterarum studia Zibingae in Marchia privatim summa cum laude incumbens.

His vero nihil addimus, nisi verba bona et pia, quibus ecclesia Graeca in *μεγαλῃ*, quam dicunt, *συναπτῃ* utitur, quaeque in *Jac. Goari* Euchólog. Graec. p. 766 ita sonant:

Εν ἑιρηνῃ τȣ Κυριȣ δεηθωμεν
Ὑπερ της ἀνωθεν εἰρηνης,
Ὑπερ της εἰρηνης τȣ συμπαντος,
Ὑπερ τȣ ἁγιȣ ὀικȣ,
(Ὑπερ ὁλης της πολεως ταυτης)
Ὑπερ τȣ ρυσθηναι ἡμας ἀπο πασης θλιψεως. Ἀμην.

P. P. in Universitate Viadrina Vratislaviensi, ipso Pacis festo d. XVIII Januarii MDCCCXVI.